



Universitätsbibliothek Paderborn

Sancta Communitas, In Paupertate religiosa inviolata

Wissingh, Anton

Coloniae Agrippinae, 1699

Cap. I. De varia analogica acceptione harum vocum, communis,
communitas

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49611](#)

Thesaurus Sacrae Scripturae: Thesaurus Sacrae Scripturae: Thesaurus
Sacrae Scripturae: Thesaurus Sacrae Scripturae: Thesaurus Sacrae Scripturae:
Thesaurus Sacrae Scripturae: Thesaurus Sacrae Scripturae: Thesaurus Sacrae Scripturae:

L I B E R I.

De sacra Religiosorum Com-
munitate, seu de Apostolica me-
thodo Regularium, vivendi
in communi.

C A P U T I.

De varia analogica acceptione harum vocum
COMMUNIS, COMMUNITAS.

Liquet ex Scriptura Sacra, SS. PP. ac DD.
Theologis, modoque loquendi, quod hæ-
duæ voces duodecim non planè disparatè
diversas, attamen analogicè varias habeant signi-
ficationes. Nam

I. Ly *Commune* idem significat, quod, vile,
exile, plebejum, vulgare, immundum. *Numquam*
manducavi omne commune. (Act. 10. 14.) Sic &
dicitur *communi* modo vivere, qui nil nobile, nil
solidum, nil arduum actitat, sed vulgari imper-
fectorum modo se accommodat.

II. Ut sit idem, quod, obvius, non pretiosus,
non delicatus. Sic dicitur *cibus communis*, id est
obvius etiam pauperibus, aut tenuibus.

A

III.

III. Idem sonat, quod, usitatum, seu esse in more; & connotat aliquam naturæ propensionem. Sic dicitur Germanis esse *commune* tale virtutum, Italos aliud, Gallis tertium.

IV. Dicitur *commune*, quod est sine divisione communicabile. Sic natura divina una est *communis* tribus Personis increatis.

V. Prout opponitur privatæ singularitati (l. I. imit. c. 19. n. 5.) *Cavendum, ne sis piger ad communia, & ad singularia promptior.*

VI. *Commune* dicitur, quod omnes concernit, afficit, & obligat. (2. Mach. 10. 8.) *Communi precepto, &c.*

VII. *Communis* dicitur Fides, quia eam amplecti possunt omnes (Tit. 1. 2. 4.)

VIII. *Commune* est, quod prodest multis. (Seneca l. de vita beata) *Qui se utilem ceteris facit, commune agit negotium, &c.* (S. Chrys. hom. 79.) *Nulla res Deo gravior, quam ut universam vitam ad commune commodum conferas.*

IX. *Commune* est, quod ab omnibus fieri debet, aut solet. *Quae communia non sunt, non sunt foris ostendenda.* (l. I. imit. lc.) Sic & dicitur *communis* mos loquendi, quo utuntur communiter homines.

X. *Commune* est, quod opponitur privatæ sensualitati. (l. 3. imit. c. 54. §. 4.) *Natura amat propria & privata; gratia autem pia est & communis, vitat singularia.* In hoc sensu à communitate excluditur singularitas, quæ à S. Bernardo numeratur inter filias superbiæ.

XI. *Commune* est, in quo, seu ad quod multi habent

habent jus justitiae ad utendum, vel insuper fruendum. Sic dicitur *commune* pratum, silva, pons, navis, fluvius, &c.

XII. *Commune* dicitur, in cuius participatione saltem habituali, vel quoad usum, usum-fructum, aut saltem usum-facti, aliamve aliquam attinentiam ita singuli includuntur, ut nullus saltem quoad actum primum excludatur. (Sap. 7.) *Accepi communem aërem.* (2. Mach. 9.) *pro communi utilitate.* (Actuum 4.) *Erant illis omnia communia.* Hæc significatio præsenti materiæ accommodatur. De qua proinde sit

CAPUT II.

De Natura & Origine vite communis.

Quæres I. Quæ sit vita communis? R. 1. S. Bartsch filius Constit. monast. c. 9. eleganti eam encomio depingit ac describit, dicens: *Perfectissimam ego illam vitæ communionem appello, à qua omnis propria & privata cuiuslibet rei possessio exclusa est: à qua abest omnis dissensio, omnis perturbatio, & rixa, sed omnia sunt communia, animi, mentes, corpora, eaque quibus necessariò ad cultum & victum utimur, &c. --- Huic vitæ instituto quid est tandem, quod jure aequiparari possit? quid beatius dici? quid hac coniunctione, & unitate aptius?* h.i.

R. 2. Ex constit. PP. Discalc. p. 1. c. 14. ubi particularius sic describitur: *Declaramus utram communem Regularium esse, cum ex com-*